



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 58. De vnitate tactus , ad tex. com. 164.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

TEXTVS.

Ἄπλ' ἰδὴ οὐδ' εἶσι αἱ διαφοραὶ τῶ σωματικῶν σώματι. ἄλλ' αὖτ' διαφοραὶ αἱ τῶ σωματικῶν διαφορῶν, ὡς τῶν διαφορῶν, ὡς τῶν διαφορῶν, ὡς τῶν διαφορῶν.

Text. 117 *Tactilia igitur sunt differentie corporis, quatenus corpus. Dico autem differentias, quae elementa definiunt, calidum, frigidum, humidum, siccum de quibus diximus prius in us, quae de elementis.*

COMMENTARIVS CLXIV.

Magna in huius contextus explicatione inter interpretes videtur esse discordia. Omnes tamen iudico eodem spectare, & Aristotelis consilium quo quomodo intellexisse: Sed aut non perfecte assequutus fuisse, aut certe non satis exposuisse. Dum enim Philoponus ait, post dubitationes haecenus de tactu propositas eum ad id, quod agendum erat, redire; atque exponere, quodnam sit obiectum tactile, quaeque illius species. Et S. Thomas, agi de organo, ostendique quale sit tactus organum: sententiam Philosophi partiti sunt; nec integram, sed alteram illius partem acceperunt. Themistius, tum de ipso tactu, tum de organo dici voluit. Sed cum tactum scripsit, ostendit esse omnium maxime corpulentum, quod circa qualitates eas versetur, quae corporis, quatenus corpus est, differentiae sunt priorum partem minus accommodatè absoluit. Nam neque hoc agitur, sed satis in textu III, explicatum est. Neque id ratio illa concluderet. Nam reliquae item sensibiles qualitates, colores, soni, odores, & saporis, differentiae sunt corporis, quatenus corpus est; non quatenus animatum & viuum (sic enim Themistius ipse loquitur) nec aliud interest, nisi quod tactiles sunt omnium primae, nec multis solum, sed simplicibus quoque corporibus communes: reliquae posteriores & mistorum magis propriae.

Melius ergo Simplicius, tum de obiecto, tum de organo sermonem esse iudicauit. At de obiecto tradi, vnum esse tactilium omnium genus, quod antea querebatur; profus non probo. Quoniam neque haec Philosophi verba significant: neque verum est, vnum illud genus esse id, quod est corporis determinatiuum; vt superius demonstraui. quare hoc loco arbitror ego ex tota haecenus habita disputatione duo concludi; alterum de obiecto; alterum de organo. De obiecto concluditur, vt vox illa (signatur) satis indicat: Tactilia, quae huius sensus obiecta sunt, eas esse qualitates, quae corporis, vt corpus est, differentiae exsistunt: hoc est calidum & frigidum, humidum & siccum. Quae appellant differentiae, quod elementa, quorum sunt propriae & per se qualitates, ratione quorum mistis quoque corporibus insunt, tum constituunt & determinant, tum distinguunt & separant. Vtrumque enim differentiarum munus est, & vtrumque Graeca vox (δifferences) significat. Non appellatur autem differentiae essentialis, quasi ea sint substantialia elementorum formae vt Philoponus visus est opinari: sed accidentariae & propriae. De sensibilibus enim duntaxat est sermo, Elementorum quoque principia dicuntur esse in

7. quales primae sunt differentiae & principia elementorum.

A posteriori de ortu & interitu libro, quid de elementis hoc loco vocatur, quod in eo de his corporibus dixeratur. Nec tamen substantialia, sed accidentaria principia esse dicuntur, quatenus ex diuinarum complexu singula elementa gignuntur. Itaque dum primis verbis appellata sunt differentiae corporum, vt corpus est, minus bene interpretatus videtur esse Themistius, hoc est non quatenus animatum esse viuum. Quoniam ipsemet Philosophus statim libi iungens (dico autem differentias, quae elementa determinant) alio profus modo exposuit. Corporis quam, quatenus corpus est; hoc est non quatenus mistum, sed quatenus simplex corpus duntaxat generabile tamen & corruptibile; liquidem quatenus sunt inter se pugnantibus & contrariis. Naturae mistum has quidem qualitates habet, sed ab elementis: Singulaeque magis aut minus immixtae, quemadmodum elementum aliquid magis tenuissime abundat. Quatenus autem mistum est, quatenus alijs affectum est, alijsque sensibilibus; coloribus, odoribus, saporibus; quae ex elementorum permissione nascuntur.

Porro complures aliae qualitates tactiles sunt, durum & molle, asperum & lene, densum & rareum, graue & leue, & id genus aliae. Sed solas illas quatuor nominauit, quae omnium primae sunt, & eas quas caeterae reuocantur. Quod vt significaret, posteriorum illum de ortu & interitu librum commemorauit, in quo ad illas reuocari caeteras demonstrauit. Sed de graui & leui alteram quamdam rationem habet Philoponus, quae nullo modo probanda est. Idcirco enim haec ait praetermissis istis, quod in proprio loco elementa neque grauius, neque leuius, sed eiusmodi sunt, cum extra suum locum posita atque a toto separata ad illud decedunt aut sursum mouentur. Meminisse autem poterit naturam, tum motus, tum quietis, principium esse & grauitatem leuitatemque intelligere, quae naturae instrumenta sunt, duplicem habere actum secundum: alterum, quo mouentur ad locum: alterum, quo in eo quiescunt seseque naturali propensione detinent atque expellentis resistunt naturalis corpora. Neque vilius forma natura in sola operatione consistit: neque corpus calidum dicitur aut frigidum, eo duntaxat tempore, quo actu calefacit aut refrigerat; sed etiam si nihil eiusmodi operetur: ita grauitas aut leuitas solum motum deorsum aut sursum significant; sed qualitates velut potestates & facultates, quae illorum motuum, si opus sit, principia existant; in minus, quietis in eo loco, in quo corpora optime conseruari & esse possunt.

DIGRESSIO LVIII.

De Vnitae Tactus.

Fortasse ex eo, quod duas contrarietates primas recensuit Philosophus, colligat quipiam, tactum non esse vnum sensum, sed plures: quatenus vnus sensus vnus contrarietatis & vna facultas vnus obiecti esse antea dicebatur. Aspectus albi & nigri, auditus acuti & grauis, odoratus iocundus & molestus, gustatus dulcis & amarus. Etiam enim plures alias qualitates cognoscant, ea tamen ad illis vni primae contrarietate reuocatur. At tactus plures habet a quibus primae

primas contrarietates, quarum una ad alteram non reuocatur. Sanè id ita esse, obnixè contendunt Aueroës in Comment. 108. Albertus, S. Thomas, Egidius, alijque complures. Sed plerique duos faciunt, vt duæ sint primæ contrarietates. Ad eas enim aut ad sensilia cõmunia cetera reuocantur. Aueroës tertium addit, qui graue & leue comprehendat: & in 2. Colliget cap. 13. quartum, famelentis & sitientis stomachi. Delectatur enim cibo & potu famelens, tristatur satur: & quantum delectationis venerea. Sextum alij, doloris & voluptatis. Themistius quidem certè in cap. 39. vniuersè pronuntiauit tot esse, quot sunt contrarietatum paria. Sed in cap. 21. Tangimus, inquit, glabra, aspera, mollia, dura, grauia, leuia: tangimus calida, frigida, humida, sicca: Omnia hæc vno sensu cognoscimus.

Ita licet quinque coniugis copulae sint, vnus tamen est tactus. Que Peripateticorum omnium sententia fuit. Atque ad argumentum illud de multiplici contrarietate tribus modis responderet Alexander in primo de animalibus. Primum, in ceteris quoque sensibus multarum contrarietatum eundem esse sensum; vt auditum acuti & grauis, magni & exilis, lenis & asperi, &c. Deinde esse quidem vnum genus tactilium omnium contrarietatum, at commune nomen non esse. Denique, nec aspectabilium omnium vnum esse commune nomen, vt in tex. 72. ipsemet Aristoteles confessus est. Quartum responsum addit Philoponus, hoc à ceteris sensibus differre & eximium habere tactum; vt vnus cum sit, plures possit contrarietates comprehendere. Et si plures contrarietates plures tibi tactus suadeant, cur sensorij vnitas in toto corpore vnum non pertineat?

Verùm commune tactilium nomen Attico interpretis τῆ ἀσπίτου nominasse refert Philoponus; & corporum, quatenus sunt corpora, determinationum simplicius; qui propterea non ex rerum natura, sed ex ignorantia nostra argumentum illud duci; iamque ob causam non vnum obiectum non esse, sed manifestum non esse, dictum fuisse adnotauit. Philopon⁹ autè adducit Philosophi verba in tex. 128. Quod autè nō sit sensus alius præter qui in aspectu, auditum, odoratum, gustatum, tactu, ex his credit aliquis. Et quoniam de tactu maximè dubitatum fuerat, de eo præsertim adiungit; quæcumque tangentes sentimus tactu sentiri; eandem scilicet facultatem, quæ inter sentientes quæta numeratur: omnes quippe speciei atque vnitatem habent. Alia igitur atque alia animæ iudicia fuerint, vt alia atque alia tactilium genera; at eadem indiuidua facultas omnium arbitra. Nam & eadem est indiuidua anima, quæ aliarum atque aliarum corporis partium actus existit, atque cum corpore diuidua sit. Ita quinque sensus numerantur. Alioqui plures numerari oporteret: quoniam non minus specie differret duo tactus, quàm tactus & aspectus. Certè lumen & color contrarietate vna non continentur: immo magis, quàm tactiles qualitates, distingui videntur; & vnus aspectus obiectum sunt. Communis verò sensus omnium sensuum contrarietates percipit. Esti sensus singuli qualitates specie diuersas comprehendunt, cur non plures etiam contrarietates cognoscant? Nam si vnitatis speciei ambitum egredi potest obiectum, vniūque speciei facultatis obiectum esse genere duntaxat vnum; Quidni phi-

rium quoque contrarietatum, quæ sensilitatis eandem rationem habeant, esse vna facultas possit? Quod si multiplex organum esse dixeris, carnem, neruum, & similes alias partes: hoc materialis & corporei valde sensus totique corpori maximè necessarii argumentum est. Propterea enim per totum corpus funditur & sufficientem vbiq; organi dispositionem habet. Neque facultatum diuersitas ex subiectis, sed ex obiectis iudicatur. Nec enim caloris sensum in corde & manu specie diuersum dices: & vt aspectus in animalibus cunctis, ita & tactus in omnibus corporis partibus communem vnam rationem habet. Nam etsi alia atque alia partes alio atque alio modo sentire videntur; quædam titillando, alia alio modo; tactus tamen sensus diuersa non est; sed delectatio aut tristitia, vt iucundum aliquid aut molestum sentitur. Cum frigemus, oblectat calor; contra cum calemus, molestiam adfert; eadem tamen caloris in eademque parte sensus. Vbi plurimæ conueniunt partes, estque tactus insolitus, vt sub maxillis & pedibus; propter magnam sensilitatem & insolentiam fit titillatio; quam mox assueti non sentiunt. Ieiunus stomachus delectatur, tristatur satur; propter conueniens aut non conueniens obiectum. Idem in ceteris animaduertas sensibus. Oloratus in omnibus idem specie: at odore vno delectantur aliqui, tristantur alij: nec propterea facultatum numerus crescit. In tactu igitur, vt in ceteris, plura materialiter obiecta sunt; at facultatis vnitas ex formali deducitur. Ambalque illas contrarietates, quæ omnium primæ existunt, ad vnum genus pertinere antea expositum est: & nunc duas contrarietates nominat, quod vnum illud non sit facile alio modo, quàm tactile, nominare; voce scilicet non absoluta, sed à sensu deflexa, quæ formale obiectum indicat, rationemque qualitatibus illis omnibus, quæ sensu percipiuntur, communem: sicut & in alijs sensibus aspectabile, audibile, odorabile, gustabile nominamus.

Itaque aut Philosophum dicas in textu 106. & 107. disputando in re perobscura loquutum fuisse; siquæ constituisse quidquam, nisi vbi postea ostendet, quinque duntaxat esse exteriores sensus: ita enim vnus solus relinquitur tactus. Aut argumenta eo loco proposita imò explitalle in textu 108. ceteros quoque sensus circa plures contrarietates versari; atque in tactu vnum quidem obiectum esse, sed innominatum ac minimè manifestum.

TEXTVS.

Τὸ δὲ ἀσπίτου αὐτῆς τὸ ἀσπίτου. ἢ ὅτι ἡ καλεῖται ἀσπίτι παρὰ τὸ πρῶτον, τὸ δὲ αὐτῆς τὸ πρῶτον ἐστὶν αὐτῆς τὸ πρῶτον. ἢ ὅτι ἡ καλεῖται ἀσπίτι παρὰ τὸ πρῶτον, τὸ δὲ αὐτῆς τὸ πρῶτον ἐστὶν αὐτῆς τὸ πρῶτον.

Sensorium autem ipsarum tactuum, in quo qui vocatur tactus inest primo, potestate huiusmodi particulari est.

Sensire enim pati quoddam est. Quare faciens qualis ipsum actum, tale illud facit, cum sic potest esse.

RRR iij

1496
elementis
horibus
cicadum
arum
die
corporei
videtur
arum
stam
entia
Compo
n quatu
nta
Nunc
er, et d
s im
mago
n est
p
es sunt
o & car
illas
funt, & al
ficat, po
no commo
ras de
andam
modo
nulla
gratia
ra sunt
d de
m poter
ipsum
que
tam
secun
1: alter
ropen
alia
alia
operati
re aut
calid
er aut
um aut
o p
s sit
in quo

Tactus
tactibus

Textus

COMMENTARIUS CLXV.

DE organo autem illud vnum pronuntiauit; tactus organum eamque partem, in qua primum inest tangendi facultas, talem potestate esse debere, quale actu est obiectum, quod tangendum est. Hæc enim sensuum omnium communis conditio; ut eorum organa obiecto sentiendo careant, & possint illud suscipere; & velut in primis necessariam in singulis eam sensibus inculcauit. In aspectu quidem & auditu in textu 71. in odoratu autem in textu 100. in gustatu in textu 104. & 105. ac demum nunc in tactu. Quare cum obiectum sit calidum, frigidum, humidum, siccum; organum hoc neque calidum actu esse oportebit, neque frigidum, neque humidum, neque siccum; sed potestate.

At si ex elementis permixtum est, ut in textu III. dictum est, quomodo id esse poterit? Nimirum qualitates illas omnes actu & re ipsa continebit. Sed ita temperatas, ut quemadmodum de elementis dicitur, ea non esse in mixtis actu, sed potestate; quod fracta sint & permixta, non integra & distincta, neque suam speciem & actum materię tribuant, sed medium quidpiam efficiant: sic de qualitatibus hinc intelligendum sit. Et omnino meminisse oportet duplicis illius potestatis, quæ in textu 48. posterioris lib. de ortu & interitu traditur: quarum altera toto actu caret, altera parte illius duntaxat. Nam ut posteriorem hanc, non priorem illam voluit ibi Philosophus elementis conuenire, dum in mixtis considerantur: ita hoc loco intelligere oportet, dum hæc qualitates elementorum in organo tactus spectantur. Ex quo consequens erit, vere antea definitum fuisse, carnem & cutim, si non sint primum tangendi organum, tamen sensu non carere. Immo ad tangendum aptissima esse, cum qualitatibus harum temperatione consentit, quæ ad omnes percipiendas potestate sunt.

Id porro, quod hoc loco affirmavit, eodem plane argumento demonstrat, quo in textu 104. organum gustatus probavit non debere esse humidum actu, sed potestate: quoniam pati debet à gustabili obiecto, quod humidum est, & cum humido ingustatum agit: Quod autem patitur, eatenus patitur, quatenus potestate est, non actu, sicut id, quod agit, eatenus agit, quatenus est actu. Nam tangendi organum non actu, sed potestate debere esse tale, quale actu est obiectum tactile; confirmat ex eo, quod ut sæpè dictum est, sentire pati quoddam est, quæ nimirum passio obiecti est & sensus, quemadmodum agere est obiecti: quod autem patitur, potestate esse oportet. Et quoniam ex seipso non potest ad actum transire, necesse est fieri actu ab aliquo, quod sit actu. Sed id, quod est actu & facit illud quoque actu, eatenus facit, quatenus ipsum est actu & alterum potestate ad illum ipsum actum. Quæ ex generali sensuum doctrina antea tradita manifesta sunt. Etenim sentire esse pati quoddam, & sensuum esse potestate tale, quale est actu sensibile obiectum; & ideo pati ab hoc, quod est actu: Fieri que actu & partim pati à simili, partim à dissimili, in principio quidem & dum paritur, esse dissimile, simile autem, postquam passum est. Propterea antequam patiat, quidpiam aliud actu esse debere, potestate autem illud ipsum; fieri que actu per susce-

Aptionem formæ ipsius obiecti sensibilis, siue realis, siue intentionalis: aut inquam ipsa reali qualitate suscepta, aut sola illius specie, aut actu cognitionis tanquam forma quadam obiecti: abunde antea dictum est. Quare etiam manifestum exiit, cur non dixerit absolute, sentire esse pati, sed esse pati quoddam. Non enim est passio corrumpens & proprie dicta, sed perficiens & minus propria. Quoniam ut corruptionem quandam interdum adiundam habeat, dum calor in carne susceptus expellit frigorem, aut humorificatatem: hoc tamen ex accidenti est, neque in omnibus. Neque est corruptio organum sententię facultatis; sed virtutis perfectione. Neque ea pertinet villo modo ad sensum, sed ad cognitionem, quod ab obiecto & sensu remouetur.

Porro qui formam intentionalem susceptione hunc sensum perfici cogitarunt, minus nobis obnoxii sunt negotij. Nam ut mittam, ne in ceteris quidem eas spiritualioribus sensibus necessarias esse; quæ in sensu maxime materiali & corporeo, quique reale obiectum tangendo operetur, opus est illis: Præterea quatuor alterarum qualitates agunt re ipsa, immilisque sibi producant, nostrorum corporum temperamentum immutando. Ceteræ tactiles eatenus sunt, quatenus motum aliquem & impulsivum habent, tangentię resistunt, aut cedunt, ut gravitas, leuitas, durities, mollitudo. Nec omnino quidem inter animalia & corpora cetera interest, nisi quod cetera sine sensu, animalia cum delectationis aut molestię sensu qualitates eas suscipiant. At cetera omnia reales, non intentionales formas, suscipiunt. Eadem gustatus conditio; quia tactus quidam. Sed in gustatu lapidum corpus immediate imponitur linguis; quod nequeat laporem re ipsa se multiplicare. Interdum autem tactus uti potest externo medio, quod alterarum qualitates re ipsa se multiplicare queunt: ita tamen, ut si non primum obiectum, qualitas certè ab eo producta in organo sensus suscipiatur. Cetera necesse est ipsam suscipi, si fieri debeant. Itaque tactus reale semper quidpiam suscipit; aut qualitatem, aut corpus tactile: idque propter materialem huius sensus conditionem. Sicut autem qualitatem, siue corpus qualitate affectum suscipiat; perinde iudicatur, num conueniens sibi obiectum sit, an noxiuum.

TEXTVS.

Διὸ τὸ μίλον θερμὸν, ἢ ψυχρὸν, ἢ ἐκχυρὸν ἢ στεγνὸν οὐ δύναται αἰσθάνεσθαι διὰ τὸ ἴσως ἔχειν, ἀλλ' αἰσθάνεται διὰ τὸ ἴσως ἔχειν τὸν αἰσθητικὸν ὄργανον, ὃ ἐστὶν ἡ δόξα, ἢ τὸ πῦρ, ἢ τὸ ἀέριον, ἢ τὸ ὕδωρ, ἢ τὸ γῆιν, ἢ τὸ κενόν, ἢ τὸ ἀκίνητον, ἢ τὸ κινητικόν.

Quare aquæ calidum vel frigidum, aut durum vel molle, non sentimus, sed redundamus. Quasi sensus in mediocritate quædam sit eius, que in sensibus est, varietatis. Et propter hoc iudicatur sensus quod vnum medium, iudicandi vim habet. Quoniam vtrumque sensuum comparatione sit alterum extremum.

COMMENTARIUS

Dante

Quomodo tactus organum potestate sit ad actum.

COMMENTARIUS CLXVI.

Sive cum Simplicio Philosophum dicas tacite subiectioni occurrere: sive cum Themistio, Philopono, & Auerroë, ex ijs, quæ dicta sunt, quidpiam eum deducere ad sensationem tactus intelligendi apprimè necessarium: Perinde sanè fuerit, eodemque prorsus modo sententia constabit. Nam si tangendi organum potestate, non actu, tale oportet esse, quale actu est obiectum tactile: dubitare quique poterat, quomodo tactiles qualitates sentiiri possint, cum ex illis actu compositum sit huiusce sensus organum, velut corpus ex elementis permixtum. Tum verò consequens erat (id, quod hanc dubitationem tollet) sensus huiusce organum, etsi ex qualitatibus tactilibus, hoc est ex suo proprio obiecto, actu compositum sit; in quadam tamen illarum mediocritate consistere; easque qualitates, quæ in obiecto & per se considerate extremæ sunt & ad summum intensæ, magnopere fractas, remissas, & temperatas continere: Itaque quoniam id, quod est remissum & exile, potestate est ad id, quod intensum est & vehemens; adhuc organum illud, etsi quoquo modo fit actu, potestate est ad suum obiectum, tactilisque omnia sentiendo. Sed ita, ut non similem & sibi æqualem æqualitatis cuiusvis gradum comprehendat, siue caloris, frigoris, humoris, & siccitatis, siue duritatis & mollitudinis, siue alterius cuiusvis. Quippe nihil patitur à simili, neque mouetur quidpiam ad eam suscipiendam formam, quam iam habeat) sed maiorem aliquam duntaxat & vehementiorem, quæ aliqua parte superet & excedat. Sic enim & patitur à dissimili, & ad illius actum est potestate, & omnino de sensibus suis obiectis iudicare potest; hoc est ea sentire & comprehendere.

Hoc verò pulchrè demonstrat ex proposita tactus natura. Tactus est mediocritas quadam; hoc est in extremarum tactilium qualitatum medio versatur: sed quod mediocre est & medium, iudicandi vim habet; ergo tactus de extremis & excedentibus qualitatibus iudicare potest. Assumptionem ita ostendit. Quod mediocre est & medium, comparatione vtriusque extremorum fit alterum illorum, hoc est comparatione calidi est frigidum, & comparatione frigidi calidum. At quod eiusmodi est, pati potest ab vtroque contrario; siquidem actio & passio inter contraria consequitur. Mediocrè igitur & medium atque adeo tactus, qui mediocritas quadam est, ab vtroque extremo & excedente pati potest, atque vtrumque sentire, comprehendere, & iudicare; si sentire pati quoddam est.

Quare hoc distabit tactus à ceteris sensibus; quòd ceteri omnes quamcumque sui obiecti partem comprehendunt & sentiunt, illiusque totius existunt iudices: at excessus duntaxat percipit tactus & iudicat. Causa est organi conditio & compositio, nò sentiētis facultatis natura. Quoniam enim quod liber mixtum & ideo tota quoque animalium corpora, ex elementis concreta sunt, eorumque continent qualitates, quæ tactus obiectum sunt: fit, ut huius sensus organum aliquam habeat sui subiecti partem, nec omnino vnquam illo carere possit. Reliquorum sensuum organa suis obiectis penitus carere queūt; quippe ea non sunt elementares, qualitates, quæ ad

A corporum constitutionem necessariae sunt: neque ex suis obiectis, sed ex tactilibus qualitatibus, constant. In tactu tamen illud procurauit natura, vt organum quàm maximè temperatum haberet: vti si non omni ex parte, omnem certè sui obiecti partem, hoc est si non gradus omnes, omnes tamen qualitates comprehenderet & iudicaret. Nam si intemperatum & qualitate quapiam excedens fuisset, excedentem illam qualitatem sentire nequiuisset; sed solum eius contrariam. Nunc autem in mediocritate omnium constitutum redundantias omnium exactè percipit & diiudicat.

Itaque dum sensum dixit Philosophus mediocritatem esse; & sensum tactus intelligi voluit, non omnem sensum; & sensum pro sensus organo nominauit. Quod tum ex ijs, quæ dicta sunt, perspicuum est: tum ex eo, quod hoc loco agebatur. De solo enim tactu, deque illius organo erat sermo. Tum demum quia idcirco illa propositio adfertur, vt tactus probetur solas qualitatum redundantias sentire: quoniam scilicet mediocritas quadam est qualitatum; quòdque medium est, vim vtriusque extremi habet. Quæ probatio in eo medio vim habet, quod ex extremis cõponitur. Quam ob causam scitè admodum Themistius admonuit, non esse intelligendum medium, quòd eque ab extremis distat & ab vtroque remotum est, quemadmodum in 2. ad Nicomachium libro virtus dicitur esse mediocritas quadam inter excessum & defectum tanquam extrema vitiosa: sed medium, quod extremi vtriusque particeps est.

Non solum tamen tactus organum, sed sentientem quoque facultatem posse quoquomodo dici mediocritatem quadam, non ineptè contendit Simplicius, atque adeo sensum omnem Themistius & Philoponus. Tangentem quidem facultatem, quatenus subiecta vtitur organi media temperatura. Sensum autem omnem, quatenus in vniuersali, quæ sensus obiecto contrarietas quadam est, in cuius medio tanquam extremi vtriusque iudex versatur sensus: aspectus inter album & nigrum, auditus inter acutum & graue, & eodem modo reliqui. Quare alio modo, quàm tactus, dicuntur illi mediocritates quadam: illi, quod nihil contineant eorum, quæ recepturi sunt, qualitatum: tactus, quòd remissas & medias illas habeat quorum vtrumque, etsi verè dici possit, ad rem tamen præsentem minimè est, vbi de solo tactus organo agitur, deque ea mediocritate, quæ ex contrariorum extremorum permissione nascitur.

Ceterum hanc non absolute mediocritatem, sed velut mediocritatem quadam appellauit Philosophus. Aut quòd nulla sit in corporibus omni ex parte mediocritas, quam ad pondus medici nominant: vel si sit interdum, extemporanea sit & propter caloris atatum, corporumque mutationem minimè diuturna. Aut certè quod ea tactui necessaria non (neque enim inest in omnibus, in quibus inest tactus) sed satis sit temperatiori queuis qualitatum fractarum & remissarum permissio: hæcque in magna quadam latitudine versetur & illud quoque mediocre existimetur, quod non multum à mediocritate recedit.